Divi Thomae
de usu divitiarum doctrina

DISSERTATIO

QUAM AD DOCTORIS PHILOSOPHIAE GRADUM OBTINENDUM

IN UNIVERSITATE FRIBURGENSI HELVETIORUM

CONSCRIPSIT

Bruno LIPIŃSKI

FRIBURGI HELVETIORUM

EX TYPIS CONSOCIATIONIS SANCTI PAULI

1910

Divi Thomae
de usu divitiarum doctrina

DISSERTATIO

QUAM AD DOCTORIS PHILOSOPHIAE GRADUM OBTINENDUM

IN UNIVERSITATE FRIBURGENSI HELVETIORUM

CONSCRIPSIT

Bruno LIPIŃSKI

FRIBURGI HELVETIORUM

EX TYPIS CONSOCIATIONIS SANCTI PAULI

1910

Clarissimo Professori P. Leoni Michel O. P., qui in conscribenda hac dissertatione consilio auxilioque fuit, gratias quam maximas agit

AUCTOR.

Haec, quae in hoc opusculo traduntur, constituunt prooemium et duo priora capita dissertationis : *Divi Thomae de usu divitiarum doctrina,* cuius summa rerum est :

PROOEMIUM

Caput I. Scientiæ doctrinam de divitiis considerantes.

1. Oeconomica. — 2. Politica. — 3. Monastica, seu Ethica. — 4. Possessiva. — 5. Theologia. — 6. Explicatio, cur secundum Divum Thomam tot diversae scientiae divitias considerent.

Caput II. Notio divitiarum.

1. Nomina ad divitias significandas adhibita, et divitiarum divisio. — 2. Necessitas divitiarum. — 3. Divitiae ut hominis bonum utile, instrumentale, secundarium.

Caput III. Usus divitiarum ab individuo humano.

1. Prudentia. — 2. Liberalitas. — 3. Magnificentia. — 4. Charitas. — 5. Justitia. — 6. Avaritia. — 7. Prodigalitas.

Caput IV. Usus divitiarum in societate domestica.

1. Necessitas societatis domesticae ad subministrandas homini divitias. — 2. Prudentia oeconomica.

PROOEMIUM

Opera omnia hucusque in lucem edita[1], quae Divi Thomae de divitiis doctrinam diversimode atque variis rationibus pertractant, haudquaquam explicant, quibusnam scientiis haec doctrina apud illum contineatur, aut quali methodo scientifica consideretur. Id igitur, quod praecedentes auctores nondum exploraverunt, inquirere ac in hac philosophica dissertatione partim et pro viribus exponere munus nostrum atque officium esse statuimus.

[1] Haec sunt opuscula, quae Thomae Aquinatis de divitiis doctrinam exponunt : Contzen Heinrich: *De Thomae Aquinatis sententiis ad oeconomicam politicam pertinentibus*. Basel, 1861. Eiusdem auctoris : *Thomas von Aquino als volkswirtschaftlicher Schriftsteller*. Leipzig, 1861. Eiusdem auctoris : *Geschichte der volkswirtschaftlichen Literatur im Mittelalter*. Berlin, 1869. Eiusdem auctoris : *Die nationalökonomischen Grundsätze des heiligen Thomas von Aquin*. Christlich-soziale Blätter, 1870. Eiusdem auctoris : *Geschichte der volkswirtschaftlichen Literatur im Mittelalter mit besonderer Berücksichtigung der mittelalterlichen Staatslehre*. II. Auflage, 1875. Thoemes: *Divi Thomae Aquinatis opera et praecepta quid valeant ad res ecclesiasticas, politicas, sociales*. Berlin, 1875. Deploige Simon: *La théorie thomiste de la propriété*. Revue Néo-Scolastique, 1895. Schwalm, O. P. : *La propriété d'après la philosophie de saint Thomas d'Aquin*, Revue Thomiste, 1895. Walter Franz: *Das Eigentum nach der Lehre des hl. Thomas und des Sozialismus*. Freiburg in Breis-

Forma autem ac ratio, qua opus nostrum adimpleturi sumus, eiusmodi est, ut primum omnium investigemus, quaenam opinione S. Thomae sint scientiae de divitiis tractantes. Quibus cognitis iam sequuntur ea, quae in scientiis Monastica, Oeconomica et Politica de divitiarum usu aut ab individuo humano, aut a personis societatis domesticae, aut a personis multitudinis politicae traduntur, praetermissis omnibus, quae ad divitiarum usum a personis ecclesiasticis pertinent, cum ea res theologicae disputationis magis propria esse nobis videatur, atque similiter omissis illis, quae acquisitionem seu productionem divitiarum in scientia possessiva spectant, nam ipse S. Thomas nihil ex professo de acquisitione divitiarum conscripserat. Ut tamen melius concipiatur ac intelligatur de usu divitiarum doctrina, notionem divitiarum praemittendam necessarium esse putavimus. Utile quoque censemus subiungere comparationem doctrinae Divi Thomae de usu divitiarum cum eadem re in Oeconomica huius aetatis. Tandem ex omnibus hucusque praemissis eruuntur conclusiones, quibus res nostra clauditur. Haec igitur sunt, quae tractaturi sumus. Notandum tamen est

gau, 1895. Maurenbrecher Max: *Thomas von Aquino's Stellung zum Wirtschaftsleben seiner Zeit.* I. Heft. Leipzig, 1898. Schaub: *Die Eigentumslehre nach Thomas von Aquin und dem modernen Sozialismus mit besonderer Berücksichtigung der beidenseitigen Weltanschauungen.* Freiburg in Breisgau, 1898. Hilgenreiner: *Die Erwerbsarbeit in den Werken des hl. Thomas von Aquin.* Der Katholik, 1901. Van Roey: *La monnaie d'après saint Thomas d'Aquin.* Revue Néo-Scolastique, 1905. Ott Adolf: *Thomas von Aquin und das Mendikantentum.* Freiburg im Breisgau, 1908.

non esse propositum nostrum in exponenda supradicta doctrina indicare fontes, ex quibus S. Thomas suam de divitiis doctrinam hausit atque enucleavit, neque intentum nostrum est effectus ac momentum eius doctrinae in operibus posteriorum scriptorum ostendere.

Opera autem Divi Thomae, ex quibus eius de usu divitiarum doctrinam sumpsimus, sunt potissimum haec memoranda: Summa Theologica, Summa Contra Gentiles, De Regimine Principum, De Regime Judaeorum, Commentarii in libros Ethicorum, Commentarii in libros Politicorum Aristotelis. Sunt adhuc plura alia eius scripta, quae continent eandem doctrinam, sed nonnisi in exigua et modica quantitate; quae omnia opera, ubi opus erit, adhibebimus atque iis utemur[1]. Quod vero authentiam scriptorum S. Thomae attinet, nil melius facere duximus, quam sequi P. Mandonnet, O. P.[2], qui nuperrime hanc rem ex professo tractavit[3].

[1] Maurenbrecher, op. cit., p. 14–25 proponit copiosius opera et quaestiones, in quibus S. Thomae doctrina de divitiis invenitur; nihilominus neque id sufficienter traditur; sic e. g., ut de aliis nihil dicam, nullam mentionem facit de quaestionibus, ubi tractatur virtus prudentiae, in qua autem agitur de divitiis.

[2] Vide Revue Thomiste 1909–1910: *Des écrits authentiques de saint Thomas d'Aquin.*

[3] Summam theologicam et Summam Contra Gentiles citamus iuxta editionem Forzani, Romae, 1894; cetera autem opera S. Thomae iuxta editionem Parmensem Fiaccadori.

CAPUT I

Scientiae doctrinam de divitiis tractantes.

---

1. Oeconomica.

Investigaturis Divi Thomae de divitiis doctrinam nobis primo ponitur quaestio, quodnam genus scientiarum versetur apud illum circa hanc doctrinam. Quoniam nostra aetate de divitiis tractat scientia specialis, quae saepe saepius eodem nomine substantivo Oeconomicae, licet additis non eisdem nominibus adiectivis, nuncupatur [1], idcirco quaeri potest, utrum etiam apud S. Thomam divitiae habeant scientiam suam ?

Nullum dubium esse potest, quin S. Thomas quandam scientiam Oeconomicam cognoverit. Etenim in prologo Commentariorum in libros Ethicorum Aristotelis proponit nobis definitionem

[1] Vide Pesch Heinrich, S. J. : « *Lehrbuch der Nationalökonomie* », 1, p. 402 : « Das Wort *Nationalökonomie* » wird gleichbedeutend mit « Volkswirtschaft » und meist auch mit « Volkswirtschaftslehre » gebraucht... Häufig findet sich die Bezeichnung « *politische Oekonomie* », Ökonomie eines politischen Körpers, eines zu einem Staate zusammengefaßten Volkes... Für die Bezeichnung « *Sozialökonomik* » führt Dietzel eine Reihe beachtenswerter Gründe an. »

scientiae Oeconomicae, quae nihil aliud est, quam illa pars philosophiae moralis, quae operationes societatis domesticae considerat : « Et inde est, quod moralis philosophia in tres partes dividitur. Quarum prima considerat operationes unius hominis ordinatas ad finem, quae vocatur monastica. *Secunda autem considerat operationes multitudinis domesticae, quae vocatur oeconomica.* Tertia autem considerat operationes multitudinis civilis, quae vocatur politica. » Quamvis igitur nota sit ei scientia Oeconomica, nullibi tamen in eius operibus hanc scientiam ex professo exaratam animadvertimus. Habemus quidem quasdam notiones Oeconomicae in Commentariis in I librum Politicorum Aristotelis : sic primo enumerantur partes Oeconomicae, quae sunt tres : despotica sive denominativa, coniugalis et paterna (lectio 2) ; deinde agitur de parte despotica et servitute (l. 2-5) ; adiunguntur denique quaedam de uxore, liberis, servis ac artificibus (l. 10-11). Hae autem notiones veluti germina initiaque Oeconomicae censendae sunt, quia sunt et paucae, et nimis generales, ut possint specialem constituere scientiam, quae par atque digna sit vel Monastica, vel Politica, quae ad eandem philosophiam moralem ut partes integrales pertinent. Sed neque eius magister Aristoteles specialem librum Oeconomicum conscripsit, nam liber, qui hoc titulo inscribitur, longo spatio temporis Aristoteli adscriptus, nunc tamquam non genuinus agnoscitur[1].

[1] Vide Überweg-Heinze, *Geschichte der Philosophie* Neunte Auflage, I, p. 234.

Haec ergo Oeconomica et Aristoteli, et Divo Thomae notissima, quamvis a neutro speciali libro exarata, includitne doctrinam de divitiis, sicut Oeconomica nostrae aetatis ? Ex definitione eius et ex enumeratione eius partium modo tradita responsum affirmativum haud sequi potest. Oeconomicae enim obiectum est consideratio operationum societatis domesticae, et non consideratio divitiarum. Similiter neque partium Oeconomicae ulla est circa divitias, nisi forte partem despoticam de servis excipias, quia servi ut pars possessionis habentur et existimantur [1]. Tantummodo ex nexu mutuo, qui consistit inter Oeconomicam et scientiam, quam S. Thomas vocat « pecuniativam », optime cognoscitur, utrum et quomodo doctrina de divitiis sit argumentum Oeconomicae. In Commentariis enim in I librum Politicorum agitur disputatio, utrum sic dicta Pecuniativa, quae est de pecuniis, sit idem atque Oeconomica, an vero pars et qualis [2]. Ex qua disputatione ac controversia apparet Pecuniativam nullatenus Oeconomicae identicam esse, nam ad Pecuniativam acquirere pecunias, ad Oeconomicam autem uti eis pertinet,

[1] Vide S. Theol. 2, 2, q. 57, a. 4 c. ; 2, 1, q. 105, a. 4 ad 5 ; 1, q. 92, a. 1 ad 2 ; 2, 2, q. 57, a. 3. ad 2. Cfr. Com. in 1 pol., l. 2.

[2] Lectio 2, p. 372*a* : « Ponit quartum, quod pertinet ad necessaria domus : et dicit, quod est quaedam alia pars oeconomicae, quae quibusdam videtur esse tota oeconomia, quibusdam vero maxima pars eius est, eo quod dispensatio domus maxime consistit in acquisitione et conservatione pecuniae. » Item lectio 6, p. 384*b* : « Prima autem dubitatio dividitur in duas partes ; quarum prima est, utrum ars pecuniativa, idest acquirendi pecunias, sit omnino eadem oeconomicae, vel sit potius pars quaedam ipsius ; aut non sit eadem, neque pars, sed potius subministrativa. »

quapropter una distinguitur ab alia, sicut ars factiva ab arte utenti: « Primo ergo solvit primam dubitationem, ostendens quod *pecuniativa non sit omnino eadem oeconomicae: quia ad pecuniativam pertinet acquirere pecunias, ad oeconomicam autem pertinet uti eis*. Nulla enim alia ars est, ad quam pertinet uti eis quae sunt utilia domui, nisi oeconomicae. Manifestum est autem etiam in aliis, quod ars quae utitur est alia ab ea, quae facit vel acquirit; sicut ars gubernatoria est alia a navifactiva: ergo oeconomica est alia a pecuniativa [1]. » Cum autem ars factiva semper deserviat subministretque arti utenti, propterea sic dicta Pecuniativa non est pars, sed tantum subministrativa Oeconomicae, et quidem eius speciei subministrativa, quae instrumenta praeparat, nam pecunia, et divitiae in genere sunt quaedam instrumenta Oeconomicae: « Ex quo etiam manifestum est, quod pecuniativa magis est ministrativa quam pars: semper enim ars factiva deservit arti utenti; sicut quae facit frenum militari. Ex quo etiam manifestum fit, quod pecuniativa magis subministrativa per modum praeparantis instrumenta, quam per modum praeparantis materiam. Pecunia enim et omnes divitiae sunt quaedam instrumenta oeconomicae [2] ». Oeconomica igitur, quae ut scientia philosophica moralis tota posita est in voluntariis operationibus societatis domesticae, considerat divitias non principaliter, sed nonnisi secundario modo, inquantum tractat de iis operationibus, quae non

[1] Com.in 1 Pol., let. 6, p. 384.
[2] Ibidem.

ad acquisitionem, sed ad usum divitiarum in multitudine domestica referuntur.

Quibus omnibus de Oeconomica S. Thomae elucidatis iam manifestum est eam non esse specialem, ut nostri temporis Oeconomica, de divitiis scientiam, sed solummodo quandam huius scientiae partem continere, scilicet usum divitiarum in domo. Quapropter supponere necesse est adhuc alias scientias, in quibus, opinione ac iudicio Divi Thomae, doctrina de divitiis includitur. Hae autem scientiae sunt : Politica, Ethica seu Monastica, Possessiva et Theologia, quarum singulas in sequentibus breviter complexuri sumus.

2. Politica.

Quemadmodum Oeconomica non est posita in acquisitione seu productione, sed in usu divitiarum, ita etiam Politica non facit acquiritque divitias, sed tantum utitur dispensatque eis : « Dicit ergo primo, quod iam ex praemissis potest esse manifestum illud, quod quaerebatur a principio, utrum pecuniativa pertineat ad oeconomicum et politicum, aut non, sed sit omnino extranea. Et veritas est, quod non est eadem pecuniativa oeconomicae... sed tamen ei subservit : quia pecunias oportet existere ad hoc, quod domus gubernetur. Et hoc probat per hoc, quod in domo et civitate oportet esse homines, et ea quae sunt necessaria hominibus. Homines autem non facit politica, sed accipit eos a natura generatos, et sic utitur ipsis : similiter ergo politica vel oeconomica non facit cibum, sed natura tradit ipsum vel ex terra sicut fructus, vel

ex mari sicut pisces, aut ex aliqua alia re. *Facere igitur vel acquirere huiusmodi cibum non est proprium opus et immediatum politicae vel oeconomicae, sed proprium opus eius est dispensare ista in domo,* sicut oportet [1]. » In eo autem est discrimen inter Politicam et Oeconomicam, quod haec quaerit de usu dispensationeque divitiarum in societate domestica, illa vero investigat, prout idem usus ac dispensatio est operatio personarum, quae societatem politicam seu civilem constituunt. Quod evidenter probatur ex ipsa definitione Politicae, quae est illa philosophiae moralis pars, quae considerat operationes societatis politicae [2]. Hic autem usus divitiarum in societate politica non ita intelligendus est, ac si principale et unicum sit scientiae politicae obiectum atque argumentum, nam illa tractat de omnibus voluntariis actionibus illorum, qui civitatem, vel regnum, id est societates politicas inhabitant.

Quae scientia Politica magis quam Oeconomica a S. Thoma exculta erat. Ecquidem et quandam librorum Politicorum Aristotelis partem [3] suis commentariis illustravit, et praeterea proprio marte libros indolis politicae confecit, scilicet : De Regimine principum, et De Regimine Judaeorum. Ea ergo opera, cum characterem politicum praeseferant, usum quoque divitiarum licet insufficienter nobis tradunt [4].

[1] Com. in 1 Pol., lect. 8.

[2] Vide supra, p. 11.

[3] Tres tantum priores libri Commentariorum a S. Thoma conscripti esse communiter agnoscuntur.

[4] Id fusius capite V huius disputationis demonstratur.

3. Monastica, seu Ethica.

Quoniam autem cum Oeconomica, tum Politica, scilicet secunda et tertia pars philosophiae moralis, quaerit de divitiarum usu, proinde quasi a priori concludere licet, tertiam quoque partem eiusdem philosophiae, id est Monasticam, quae operationes unius hominis considerat [1], quaeque nobis idem ac Ethica esse videtur [2], de usu dispensationeque divitiarum respectu individui humani tractaturam esse. Et revera, haec suppositio confirmatur quasi a posteriori ex eo, quod in libris Ethicorum Aristotelis, in quos S. Thomas commentarios conscripsit [3], inveniuntur quaedam notiones, quae divitiarum usum ab uno homine, seu individuo humano, spectant. Ibi enim continentur quaestiones de liberalitate, magnificentia, iustitia, deque illiberalitate avaritia, parvificentia, consumptione, hoc est de virtutibus et vitiis, quae versantur circa usum ab uno homine divitiarum. Huc spectat etiam quaestio de ipsis divitiis, utrum et quale sint divitiae hominis bonum [4].

Cum praeterea Ethica, seu Monastica, principia generalia Politicae [5], consequenter et Oecono-

[1] Vide supra, p. 11.

[2] Scientia enim Monastica in divisione philosophiae moralis a S. Thoma coincidit cum Ethica in divisione scientiarum practicarum in libris Aristotelis. Confer Gillet, O. P.: *Du fondement intellectuel de la morale d'après Aristote*, p. 71 ; item de Wulf : *Histoire de la philosophie médiévale*, p. 316, nota 1.

[3] Vide Com. in 4 Ethic., lect. 1–7 ; 5, lect. 6–9.

[4] Vide ib. 1, lect. 16.

[5] Com. in 1 Ethic., lect. 19, p. 41*a* : « Sed consideratio praesentis scientiae ad politicam pertinet, quia *in hac scientia tra-*

micae, tradat, idcirco in specie etiam notiones generales de usu divitiarum proponere ac statuere debet. Qua de causa efficitur, ut Ethica, seu Monastica, continet aeque doctrinam de usu divitiarum respectu unius hominis ac eandem doctrinam in genere.

4. Possessiva.

Et Ethica, seu Monastica, et Oeconomica, et Politica, omnes hae tres scientiae, quae hucusque inquisitae erant, versantur tantum in divitiarum usu, et non in divitiarum acquisitione. De acquisitione ergo divitiarum tractare debet alia scientia, quae a S. Thoma « possessiva » vocatur. Jam quando quaerebatur, utrum Oeconomica sit de divitiis [1], mentio facta erat de Pecuniativa, quae agit de pecuniarum acquisitione. Haec autem Pecuniativa est nil aliud, quam una pars Possessivae, cuius pars altera dicitur Aequisitiva cibi aliorumque necessariorum vitae : « Postquam philosophus determinavit de una parte possessivae, quae est aequisitiva cibi et aliorum necessariorum vitae, hic determinat de alia possessione, quae appellatur pecuniativa [2]. » Exinde patet Possessivam esse scientiam tractantem de acquisitione omnium divitiarum, non solum naturalium, in quibus indagandis est posita Acquisitiva cibi et aliorum necessariorum vitae, sed etiam artificialium, id est pecuniarum, quas investigat Pecuniativa [3].

duntur principia politicae ». Confer. M a n s e r, O. P.: *De natura philosophiae*, App. I.

[1] Vide supra, p. 11–12.

[2] Com. in 1 Pol., lect. 7, p. 387*a*.

[3] Haec divisio Possessivae in Acquisitivam cibi aliorumque

Quam scientiam Possessivam speciali libro conscriptam nec Aristoteles neque eius Commentator Divus Thoma posteris tradidit. Quod enim in I libro Politicorum lect. 2-9 sparsim invenitur, id manifeste proponitur eo fine ac intentione, ut determinetur, an et qualis Possessiva pertineat ad Oeconomicam. Postquam autem haec quaestio soluta fuit Pecuniativam totamque Possessivam esse tantum subministrativam Oeconomicae [1], traditur nobis solummodo divisio Possessivae. Juxta hanc divisionem, quae invenitur in Commentariis in libros Politicorum, Possessivae pars prima sic dicta Acquisitiva cibi et aliorum necessariorum vitae dispescitur in praedativam, quae acquirit bestias, et etiam servos, et agriculturam, quae acquirit nutrimentum ex plantis [2]. Altera pars Possessivae, scilicet Pecuniativa [3], dividitur primo in necessariam vel naturalem, quae acquirit pecu-

necessariorum vitae et in Pecuniativam manifeste innititur divisioni divitiarum in naturales et artificiales. Vide infra, p. 38–39.

[1] Vide supra, p. 13.

[2] Com. in 1 Pol. lect. 6, p. 385*b*-386*a* : ...ergo possessiva qua huiusmodi acquiruntur, quae pertinent ad ncessitatem vitae, est naturalis, *et pars eius est praedativa, qua oportet uti ad bestias quae naturaliter sunt subjectae hominibus, et ad homines barbaros qui sunt naturaliter servi*, ut supra dictum est, ac si hoc sit bellum iustum secundum naturam. *Dixit autem praedativam esse partem huiusmodi possessivae, quia alia pars est agricultura, quae acquirit nutrimentum ex plantis.* »

[3] Pecuniativa, quae etiam Pecuniaria, vel ars de pecuniis a S. Thoma vocatur, ab Aristotele dicitur chremastica : « Εστι δὲ ἄλλο γένος κτητικῆς, ἥν μάλιστα καλοῦσι, καὶ δίκαιον καλεῖν, χρηματιστικήν » Vide *Aristotelis opera omnia edidit Academia Regia Borussiaca Volumen secundum Aristotelis graece ex recognitione Immanuelis Bekkéri.* p. 1256*b*, 9.

niam ex rebus, quas natura suppeditat ad necessitates vitae, et aliam translativam, quae pecuniam acquirit ex rebus ad vitam non necessariis. Iterum Pecuniativa necessaria subdividitur in duas partes, quarum altera pecuniam acquirit ex rebus naturalibus ac necessariis ad vitam per emptionem et venditionem, altera autem consistit in pecuniarum acquisitione per augendam multiplicandamque copiam rerum venalium. Similiter dismembratur Pecuniativa translativa in quatuor partes : mercativam, foenerationem, mercenariam, et incisivam lapidum metallorumque de terra, quarum prima id est mercativa, triplex distinguitur : navigativa, devectiva, et negotiativa [1].

[1] Com. 1 Pol., lect. 9, p. 394 : « Determinat ea, quae pertinent ad usum pecuniativae. Et circa hoc duo facit. Primo distinguit partes ipsius. Secundo ponit quaedam documenta utilia pecuniativae, ibi « Quoniam » autem a quibusdam, etc. Circa primum duo facit. *Primo assignat partes pecuniativae, quae est necessaria ad vitam humanam. Secundo partes pecuniativae non necessariae ibi, Translativae* maximum quidem mercaturam etc. Dixit autem supra, necessariam esse pecuniativam, per quam homo acquirit pecuniam ex rebus quas natura ministrat ad necessitatem vitae. Huiusmodi autem ponit duas partes. *Quarum prima est secundum quam homo ex emptione et venditione talium rerum potest pecuniam acquirere... Secunda autem pars huiusmodi possessivae est, ut homo acquirat copiam harum rerum venalium* quod quidem est per culturam terrae, sive nudae, hoc est absque arboribus, sicut sunt campi in quibus seminatur triticum ; sive plantatae, sicut sunt vineae, et horti et oliveta..... Sic ergo patet quod istae sunt primae et propriissimae partes pecuniativae ; et dicuntur primae et propriissimae, quia sic acquiritur pecunia ex rebus naturalibus, propter quas inventa est primo pecunia. Deinde cum dicit : « Translativae autem ». *Distinguit partes pecuniativae translativae.* Dixit autem supra, pecuniativam translativam esse per quam acquiritur pecunia non ex rebus necessariis ad vitam, sed ex quibusdam aliis rebus. Et dicitur translativa, quia pecunia translata

Quamquam igitur nullus liber de Possessiva nobis traditur, iam ex illis paucis notionibus atque divisione huius scientiae non difficile intelligi potest, qualis sit natura universa Possessivae. Ea enim disciplina non modo est de acquisitione divitiarum, sed haec divitiarum acquisitio, seu productio, est principale et unicum obiectum huius scientiae. Quamobrem Possessiva multum differt ab Ethica, seu Monastica, Oeconomica, et Politica, quarum obiectum totale non est usus divitiarum, sed omnes voluntariae hominum operationes [1].

5. Theologia.

Ultima demum scientia, quae tractat pariter de divitiis doctrinam, est Theologia, seu sacra doctrina. Permultae enim continentur de divitiis

est de rebus naturalibus ad huiusmodi. Circa primum tria facit. Primo distinguit partes huiusmodi pecuniativae. Secundo excusat se de diligentiori consideratione harum partium... *Circa primum ponit quatuor partes pecuniativae : quarum prima et maxima est mercativa... Et hanc primam partem secundo distinguit in tres partes : quarum prima est navigatio*, quae scilicet mercationes exercet per mare. *Alia autem dicitur devectio*, idest oneraria, quae scilicet exercet mercationes in terra per deportationem onerum in curribus vel iumentis. *Tertia autem vocatur negotiatio* puta cum aliquis non defert merces nec per mare nec per terram, sed assistit mercatoribus per communicationem pecuniae vel aerum.., *Secunda autem pars principalis huius translativae pecuniativae est foeneratio*, quae scilicet per usuras pecuniam acquirit. *Tertia autem pars est mercenaria*, sicut eorum qui labores suos locant pro mercede pecuniarum... *Quarta autem pars est media* inter translativam et primam quae est necessaria, habens aliquid de utraque illa : *quae scilicet acquirit lucrum per incisionem lapidum vel metallorum de terra.*

[1] Vide supra, p. 11.

quaestiones in variis S. Thomae theologicis operibus, inter quae primatum tenet Summa Theologica.

Si autem has singulas perspicimus quaestiones, imprimis occurrunt quaedam, quae ex professo vel in Ethica, vel Politica, vel Oeconomica considerari possunt, ut exemplum afferam de virtutivus et vitiis, de liberalitate, magnificentia, avaritia, prodigalitate, quae Ethicae sunt propriae, quaeque nihilominus in Summa Theologica et aliis operibus theologicis inveniuntur.

Attamen praeter eas quaestiones de divitiarum usu, quae in philosophia et Theologia investigantur, discernimus non difficile et alias quaestiones de divitiis, quae soli sacrae doctrinae sunt propriae, ut de oblationibus, decimis primitiisque, de labore atque paupertate religiosorum, deque bonorum temporalium usu a personis ecclesiasticis. Quae omnes notiones de divitiis simul sumptae constituunt, quasi unam specialem de usu divitiarum a personis ecclesiasticis doctrinam, quae quandam similitudinem affinitatemque habet cum scientia, quae in Oeconomica nostrae aetatis ante tradebatur, nunc vero ut specialis scientia, germanice « Finanzwissenschaft » docetur.

Ex quo efficitur, ut Theologia, seu sacra doctrina, quae est specialis de Deo scientia, contineat partim de usu divitiarum in communi doctrinam, partim autem doctrinam de divitiarum usu ab ecclesiasticis personis.

6. Explicatio, cur secundum Divum Thomam tot diversae scientiae divitias considerent.

Quibus omnibus exploratis iam manifestissimum est secundum S. Thomam non unicam, sed plures, et quidem quinque existere scientias, quae in doctrina de divitiis versantur, quarum Ethica de usu divitiarum ab uno homine, Oeconomica de eodem usu in societate domestica, Politica vero de eadem re in multitudine politica, Theologia item de usu divitiarum in communi et respectu personarum ecclesiasticarum, et Possessiva denique de acquisitione divitiarum quaerit ac docet. Ex his quinque scientiis sunt quatuor, quae de divitiarum usu, et una solummodo, quae de divitiarum acquisitione agit. Abstractione autem facta a scientia Theologica, de qua infra dicetur [1], tres sunt scientiae philosophicae divitiarum usum considerantes, scilicet : Ethica, seu Monastica, Oeconomica, et Politica. Quocirca iuremerito quaeri potest, quare tres, et non una scientia, tractent de divitiarum usu ?

Cuius rei rationem habemus in prologo S. Thomae in Commentarios librorum Ethicorum [2]. Totum enim potest esse aut physicum, quod habet

[1] Vide p. 32–35.

[2] « Sciendum est autem, quod hoc totum, quod est civilis multitudo, vel domestica familia, habet solam unitatem ordinis secundum quam non est simpliciter unum. Et ideo pars eius totius potest habere operationem, quae non est operatio totius, sicut miles in exercitu habet operationem quae non est totius

unitatem non solum ordinis, sed etiam continuitatis, vel compositionis, aut totum morale unitatem tantum ordinis habens. In toto physico eadem est operatio totius et partis; sed omnino aliter est in toto morali, quia ibi alia atque alia operatione praeditum est totum, et pars, quapropter alia scientia considerare debet totum morale, et alia eius partes. Atqui societas politica pariter ac societas domestica constituunt totum morale, non physicum; propterea alius generis est operatio societatis politicae, ut totius moralis, quam operatio societatis domesticae, quae est pars societatis politicae; itemque operatio societatis domesticae, ut totius moralis, differt ab operatione individui humani, quod respectu societatis domesticae est pars. Itaque specialis debet dari scientia Politica, quae doceat operationes multitudinis politicae; item alia necessaria est scientia Oeconomica,

exercitus. Habet nihilominus et ipsum totum aliquam operationem, quae non est propria alicuius partium, sed totius, puta conflictus totius exercitus. Et tractus navis est operatio multitudinis trahentium navem. Est autem aliquid totum, quod habet unitatem non solum ordine, sed compositione, aut colligatione, vel etiam continuitate, secundum quam unitatem est aliquid unum simpliciter; et ideo nulla est operatio partis, quae non sit totius. In continuis enim idem est motus totius et partis, et similiter in compositis, vel colligatis, operatio partis principaliter est totius, et partis eius. Non autem ad eandem scientiam pertinet considerare totum quod habet solam ordinis unitatem, et partes ipsius. Et inde est, quod moralis philosophia in tres partes dividitur. Quarum prima considerat operationes unius hominis ordinatas ad finem, quae vocatur monastica. Secunda autem considerat operationes multitudinis domesticae, quae vocatur oeconomica. Tertia autem considerat operationes multitudinis civilis, quae vocatur politica. »

quae consideret operationes societatis domesticae ; denique oportet esse scientia Monastica de operationibus voluntariis unius hominis tractans. Consequenter et usus divitiarum consideratur in Monastica, Oeconomica, et Politica, secundum quod est aut operatio societatis politicae, aut operatio multitudinis domesticae, aut operatio unius hominis.

Hoc modo cognita iam ratione, cur usus divitiarum sit inter tres speciales scientias divisus, ulterius nobis quaerere placet, quare usus et acquisitio divitiarum tractetur non in uno eodemque genere scientiarum, sed acquisitio consideretur in factivis scientiis, ut est Possessiva, et usus in scientiis moralibus, ut est Ethica, Oeconomica, Politica ? Radix atque causa, ob quam divitiarum usus ab acquisitione in aliis atque aliis scientiis traditur, in eo latere videtur, quod usus est principaliter actus voluntatis, et proinde iure ac rite in scientiis moralibus investigatur ; acquisitio autem, si in se spectetur, est operatio in rebus exterioribus, seu sic dicta factio, et proinde non immerito eius indagatio ad artes factivas, seu mechanicas, pertinet.

Quod usus est actus voluntatis, nemo dubitare potest, nam ab ipso S. Thoma in Summa Theologica [1] demonstratur : uti esse proprie actum voluntatis. Actus autem voluntatis in philosophia morali considerantur [2]. Quocirca nil mirum, quod usus divitiarum, ut actus voluntatis, tractatur in Monas-

[1] 1, 2, q. 16, a. 1 c : « Unde manifestum est, quod *uti proprie est actus voluntatis.* »

[2] Com. in 1 Ethic., lect. 1, p. 2*a* : « *Ordo autem actionum voluntariarum pertinet ad considerationem moralis philosophiae.* »

tica, Oeconomica, et Politica, quae sunt philosophiae moralis partes integrales[1]. Quod autem acquisitio divitiarum non est primo et proprie actus voluntatis, sed sic dicta factio, seu operatio in exteriorem materiam transiens, facile ostenditur ex eo, quod Pecuniativa, — et similiter est de tota Possessiva sentiendum, — ars factiva dicitur[2]. Artes autem factivae, quae etiam artes mechanicae, vel scientiae poiëticae appellantur[3], non aliae sunt scientiae, nisi illae, quae factiones, seu operationes in rebus exterioribus considerant[4].

Quid sit vero usus divitiarum, et quid acquisitio, probe atque accurate distinguendum ac intelligendum est, ut recte sciatur, quid pertineat ad Monasticam, Oeconomicam, et Politicam, et quid ad Possessivam. Uno enim loco[5] legitur ad actum oeconomici et politici pertinere, ut acquirantur

[1] Vide supra p. 11.
[2] Vide supra, p. 13.
[3] Vide Manser, op. cit., Append.
[4] Com. in 1 Ethic., lect. 1, p. 2*a* : « *Ordo autem, quem ratio considerando facit in rebus exterioribus constitutis per rationem humanam pertinet ad artes mechanicas.* » Item Com, in 1 pol. lect. 1, p. 366*b* : « Rursumque cum ratio quaedam operetur per modum factionis operatione in exteriorem materiam transeunte, quod proprie ad artes pertinet, quae mechanicae vocantur, utope fabrilis, navifactiva et similis. »
[5] Com in 1 pol., lect. 6, p. 386*a* : « Concludit ex praemissis quod quaedam naturalis species possessivae, de qua iam dictum est, pars est quaedam oeconomicae, secundum quod pars dicitur esse quae est subministrativa : subministrat enim non solum oeconomicae, sed etiam politicae ; et hoc ideo, quia *oportet ad actum politici et oeconomici, ut acquirantur illae res quae thesaurisantur ad necessitatem vitae et utilitatem communitatis, tam domus quam civitatis ;* quia neque domus neque civitas potest gubernari sine necessariis vitae. »

divitiae necessariae ad vitam domus vel civitatis. Haec autem acquisitio divitiarum per oeconomum, vel politicum non ita intelligenda est, ac primus, vel alter obligetur divitias ipse per se facere seu producere, sed solummodo uterque tenetur uti ministerio eorum, qui divitias faciunt producuntque et quidem eo fine, ne desint divitiae necessariae ad vitam domesticae, aut civilis societatis. Quamobrem usus divitiarum, cuius consideratio ad scientias philosophicas morales pertinet, id est Monasticam, Oeconomicam, et Politicam, quodammodo duos actus continet : unum, qui est cura acquisitionis divitiarum utendo ministerio eorum, qui divitias faciunt acquiruntque, et alterum, qui est ipse usus divitiarum, quae iam factae et acquisitae erant. Acquisitio vero divitiarum, quae scientiae possessivae propria est, non aliud significare potest, quam ipsam factionem in rebus exterioribus, scilicet quomodo et ex quibus rebus divitiae ad vitam necessariae producuntur [1].

[1] Com. in 1 pol., lect. 8, p. 392*a* : « Movet quandam quaestionem, et ista est quaestio. Cum illi qui sunt in domo indigeant sanitate, sicut indigent his quae sunt necessaria ad vitam, ut cibo et vestitu, quare ars medicinalis non est pars oeconomicae, sicut pecuniativa ? Et respondendum quod ad dispensatorem domus et ad principem civitatis pertinet quodammodo considerare de sanitate, scilicet utendo consilio medicorum ad sanitatem subiectorum : alio autem modo non pertinet ad eos, sed ad medicos, considerando scilicet ex quibus rebus sanitas conservetur, vel restituatur. *Similiter etiam ad dispensatorem domus quodammodo pertinet considerare de pecunia, scilicet utendo ea iam acquisita, et utendo etiam ministerio eorum qui acquirunt : sed considerare ex quibus rebus pecunia possit acquiri et quomodo, hoc non pertinet ad oeconomicum, sed ad artem subservientem, scilicet ad pecuniativam.* »

Quod divitiarum usum et acquisitionem attinet, adhuc alia digna sunt, ut notentur. Ecquidem quemadmodum usus divitiarum, quamvis, ut supra diximus, proprie et principaliter sit actus voluntatis, quandoque tamen ut factio haberi potest, sic acquisitio divitiarum licet, si in se sumatur, factio putanda sit, interdum potest considerari ut actus voluntatis. Et primo qua de causa ac lege usus aliquando vocatur factio? Ipse Divus Thoma indicat nobis huius rei rationem. Usus enim cuiuscunque rei significat applicationem eiusdem rei ad quancumque operationem; applicari autem possunt non tantum interiores hominis potentiae sive animae, sive corporis, sed etiam res exteriores; applicatio vero rerum exteriorum est eo ipso operatio hominis transiens in materiam exteriorem, seu sic dicta factio[1]. Id autem nil impedit, quominus usus consideretur principaliter et proprie ut actus voluntatis. Nam res exteriores ad operationem non applicantur, nisi per animae, vel corporis potentias; hae vero iterum ut quaedam instrumenta moventur atque applicantur a voluntate, veluti a principali agente. Cum autem actio adscribi soleat non causae instrumentali, sed princi-

[1] Com in 1 Ethic. lect. 1 p. 3*a*: « Ad cuius evidentiam considerandum est, quod duplex est operatio, ut dicitur in nono Metaphysicorum. Una, quae manet in ipso operante, sicut videre, velle, et intelligere: et huiusmodi operatio proprie dicitur actio. Alia autem operatio transiens in exteriorem materiam, quae proprie dicitur factio. *Qandoque enim aliquis exteriorem materiam assumit solum ad usum*, sicut equum ad equitandum, et cytharam ad cytharisandum. Quandoque autem assumunt exteriorem materiam, ut mutent eam in aliquam formam: sicut cum artifex facit domum aut lectum. »

pali, propterea usus rerum exteriorum, quamquam quodam sensu factio dici potest, principaliter et proprie est voluntatis actus [1]. Atque similiter res est cum acquisitione divitiarum. Haec enim est S. Thomae opinio, quod actus humanus, etiamsi secundum suam speciem sit indifferens, prout obiectum actus huius nihil contineat, quod pertineat ad ordinem rationis, quae est actuum humanorum principium ac regula [2], tamen idem actus

[1] S. Theol. 1, 2, q. 16, a. 1 c : « Respondeo dicendum, quod usus rei alicuius importat applicationem rei illius ad aliquam operationem ; unde et operatio, ad quam applicamus rem aliquam, dicitur usus eius : sicut equitare est usus equi, et percutere est usus baculi. Ad operationem autem applicamus et principia interiora agendi, scilicet ipsas potentias animae, vel membra corporis, ut intellectum ad intelligendum, et oculum ad videndum, et res exteriores, sicut baculum ad percutiendum : sed manifestum est, quod res exteriores non applicamus ad aliquam operationem nisi per principia intrinseca, quae sunt potentiae animae, aut habitus potentiarum, aut organa, quae sunt corporis membra. Ostensum est autem...., quod voluntas est, quae movet potentias ad suos actus : et hoc est applicare eas ad operationem ; *unde manifestum est, quod uti primo, et principaliter est voluntatis tamquam primi moventis*, rationis autem tamquam dirigentis, sed aliarum potentiarum tamquam exequentium, quae comparantur ad voluntatem, a qua applicantur ad agendum, sicut instrumenta ad principale agens. Actio autem proprie non attribuitur instrumento, sed principali agenti, unde manifestum est quod uti proprie est actus voluntatis. »

[2] Ib. q. 18, a. 1 c. : « Respondeo dicendum, quod... actus omnis habet speciem ab obiecto, et actus humanus, qui dicitur moralis, habet speciem ab obiecto relato ad principium actuum humanorum, quod est ratio ; unde si obiectum actus includit aliquid, quod conveniat ordini rationis, erit actus bonus secundum suam speciem ; sicut dare eleemosynam indigenti : si autem includit aliquid, quod repugnet ordini rationis, erit malus actus secundum speciem ; sicut furari, quod est tollere aliena. *Contingit autem, quod obiectum actus non includit aliquid pertinens*

consideratus in individuo, id est in suis circumstantiis, haud potest esse a regulis moralibus independens ac indifferens; omnis enim actus humanus individualis, si eius obiectum est respectu regulae moralis independens, tendere solet in bonum semper propter aliquas circumstantias, ad minus propter circumstantiam finis, et inde est bonus, vel malus, secundum quod circumstantiae eius normis moralibus conveniunt, vel contrariantur[1]. Quocirca et acquisitio divitiarum, etsi non semper quoad suam speciem ex obiecto sit actus moralis, attamen, quia est actus humanus, consideratus in

ad ordinem rationis; sicut levare festucam de terra, ire ad campum, et huiusmodi: *et tales actus secundum speciem suam sunt indifferentes.*

[1] Ib. a. 9 c.: « Respondeo dicendum, quod contingit quandoque aliquem actum esse indifferentem secundum speciem, qui tamen est bonus, vel malus in individuo consideratus: et hoc ideo, quia *actus moralis... non solum habet bonitatem ex obiecto, a quo habet speciem, sed etiam ex circumstantiis*, quae sunt quasi quaedam accidentia: sicut aliquid convenit individuo hominis secundum accidentia individualia, quod non convenit homini secundum rationem speciei. Et oportet, quod quilibet individualis actus habeat aliquam circumstantiam, per quam trahatur ad bonum, vel malum, *ad minus ex parte intentionis finis:* cum enim rationis sit ordinare; actus a ratione deliberativa procedens, si non sit ad debitum finem ordinatus, ex hoc ipso repugnat ordini rationis, et habet rationem mali: si vero ordinetur ad debitum finem, convenit cum ordine rationis: unde habet rationem boni: necesse est autem, quod vel ordinetur, vel non ordinetur ad debitum finem: unde necesse est, omnem actum hominis a deliberativa ratione procedentem, in individuo consideratum, bonum esse, vel malum. Si autem non procedit a ratione deliberativa, sed ex quadam imaginatione (sicut cum aliquis fricat barbam, vel movet manum, aut pedem) talis actus non est, proprie loquendo, moralis, vel humanus, cum hoc habeat actus a ratione: et sic erit indifferens, quasi extra genus moralium actuum existens. »

individuo, fieri solet moraliter bonus, vel malus, secundum quod circumstantiae eius sunt moraliter bonae vel malae. Hac vero ratione iam manifestum est acquisitionem divitiarum duplici scientificae considerationi subiici posse : et considerationi imprimis artium mechanicarum, ut est Possessiva, nam primo et principaliter est factio in exteriori materia, itemque secundario modo considerationi morali, quoniam est actus humanus a ratione et libera voluntate procedens. Ex quo facile intelligitur, cur factiones, et ipsa Possessiva, ac potissimum eius pars Pecuniativa examini atque analysi subiiciatur morali [1].

Cum res agitur de Monastica, Oeconomica, Politica, id est scientiis moralibus de divitiarum usu tractantibus una ex parte, et altera ex parte de Possessiva, arte mechanica seu factiva, quae considerat divitiarum acquisitionem, unum adhuc silentio praeteriri non potest. Quidquid enim discriminis inter hanc scientiam factivam et illas scientias morales esse possit, eam tamen haec duo diversa genera de divitiis scientiarum similitudinem convenientiamque habent, quod sunt scientiae philosophicae et proinde eadem investigantur methodo philosophica. Quae methodus philosophica est cognitio ac consideratio non sensitiva, sed rationalis, seu intellectualis rerum ordinis, qui est duplex : unus partium alicuius totius, vel multitudinis ad invicem, et alter principalior ordo rerum in finem. Is autem ordo cum diversimode ad

[1] Vide Com. in 1 pol., lect. 6–9.

rationem, quae eum considerat, referatur, inde diversae enascuntur scientiae philosophicae, prout ratio considerat aut res naturales, aut suos, id est actus intellectuales, aut operationes voluntatis, aut operationes in rebus exterioribus. Qua de causa illae scientiae philosophicae, quae versantur in consideratione ordinis actionum voluntatis, nominantur scientiae morales, seu philosophia moralis; illae vero, quae cognoscunt ordinem operationum in rebus exterioribus, seu factionum, appellantur artes mechanicae[1], quod est idem ac artes seu

[1] Com. in 1 Ethic., lect. 1, p. 1–2*a*: « Sicut dicit philosophus in principio Metaphysicorum, sapientis est ordinare. Cuius ratio est, quia sapientia est potissima perfectio rationis, cuius proprium est cognoscere ordinem. Nam si vires sensitivae cognoscant res aliquas absolute, ordinem tamen unius rei ad aliam cognoscere est solius intellectus aut rationis. Invenitur autem duplex ordo in rebus. Unus quidem partium alicuius totius, seu alicuius multitudinis ad invicem, sicut partes ad invicem ordinantur. Alius est ordo rerum in finem. Et hic ordo est principalior, quia primus. Nam, ut Philosophus dicit in undecimo Metaphysicorum, ordo partium exercitus ad invicem, est propter ordinem totius exercitus ad ducem. Ordo autem quadrupliciter ad rationem comparatur. Etenim est quidam ordo, quem ratio non facit, sed solum considerat, sicut est ordo rerum naturalium. Alius autem est ordo, quem ratio considerando facit in proprio actu, puta cum ordinat conceptus suos ad invicem, et signa conceptuum, quia sunt voces significativae. Tertius autem est ordo, quem ratio considerando facit in operationibus voluntatis. Quartus autem est ordo, quem ratio considerando facit in exterioribus rebus, quarum ipsa est causa, sicut in arca et domo. Et quia consideratio ordinis per habitum perficitur, secundum hos diversos ordines, quos proprie ratio considerat, sunt diversae scientiae. Nam ad philosophiam naturalem pertinet considerare ordinem rerum quem ratio humana considerat, sed non facit; ita quod sub naturali philosophia comprehendamus et metaphysicam. Ordo autem quem ratio considerando facit in proprio actu, pertinet ad rationalem philosophiam, cuius est considerare ordinem partium orationis adinvicem, et ordinem principiorum

scientiae factivae, poiëticae. Itaque licet Monastica, Oeconomica, Politica, ut scientiae morales de usu divitiarum agentes, differant a Possessiva, ut arte mechanica de acquisitione divitiarum tractante, nihilominus conveniunt in eo, quod omnes sunt scientiae philosophicae et inde eandem adhibent methodum philosophicam.

Postquam iam inquisivimus, quare de divitiarum usu tres tractent scientiae, nempe : Monastica, seu Ethica, Oeconomica, et Politica, atque praeterea expositis omnibus, cur acquisitio divitiarum in speciali scientia indagetur, sic dicta Possessiva, nil nobis restat, nisi, ut explicemus, qua de causa etiam de divitiis consideret scientia Theologica, seu sacra doctrina. Haec enim scientia, ut supra notavimus [1], partim tractat de eodem divitiarum usu ac supradictae scientiae philosophicae morales, partim vero doctrinam considerat specialem, scilicet de divitiarum usu ab ecclesiasticis personis. Cum autem hic proprie res de usu divitiarum agatur, usus vero est actus voluntatis, inde concludere licet usum divitiarum tractandum esse tantummodo in philosophicis scientiis moralibus, ad quas ordo actuum voluntatis pertinet [2]. Quaenam est proinde ratio atque causa, cur idem divitiarum argumentum in duabus scientiarum clas-

adinvicem et conclusiones. *Ordo autem actionum voluntariarium pertinet ad considerationem moralis philosophiae. Ordo autem quem ratio considerando facit in rebus exterioribus constitutis per rationem humanam, pertinet ad artes mechanicas.* »

[1] Vide supra, p. 21.

[2] Vide supra, p. praec.

sibus investigetur, id est in scientiis theologicis et philosophicis ? Ut in aliis scientiis idem argumentum atque obiectum esse potest, dummodo in unaquaque earum diversum sit obiectum formale, seu tractandi ratio formalis, seu, ut Divus Thomas ait, diversa ratio cognoscibilis, ita pariter nihil obstat, quominus scientiae theologicae et philosophicae eandem materiam, ut in nostra re usum divitiarum, tractent, sed aliud atque aliud obiectum habeant formale ita, ut philosophia inquirat, quantum usus divitiarum ratione naturali cognoscibilis esse possit, et scientia theologica, prout auxilio divinae revelationis cognoscatur [1].

Quamvis usus divitiarum in philosophia morali et sacra doctrina consideretur obiecto ac ratione formali omnino diversa, et inde quaedam doctrinae quaestionesque theologicae existant, quae possibilitatem cognitionis per rationem humanam excludant [2], nihilominus veritas theologica numquam veritati philosophicae de eadem re contradicere potest, cum quidquid contra fidem demonstrare impossibile sit [3]. Non modo doctrina theologica philosophicae

[1] S. Theol. 1, q. 1. a. 1 ad 2 : « Ad secundum dicendum, quod *diversa ratio cognoscibilis diversitatem scientiarum inducit.* Eandem enim conclusionem demonstrat astrologus, et naturalis puta quod terra est rotunda : sed astrologus per medium mathematicum, idest a materia abstractum ; naturalis autem per medium circa materiam consideratum. *Unde nihil prohibet de eisdem, de quibus philosophicae disciplinae tractant, secundum quod sunt cognoscibilia lumine naturalis rationis, etiam aliam scientiam tractare, secundum quod cognoscuntur lumine divinae revelationis.* »

[2] Ib. 1, q. 1, a. 1 c.

[3] Ib. a. 8 c. : « Unde sacra Scriptura, cum non habeat superiorem, disputat cum negante sua principia, argumentando

disciplinae non adversatur, immo methodus theologica cogritionem philosophicam supponit, eaque utitur eidemque ut quodam fundamento superstruitur[1]. Accedit quoque id, quod doctrina de divitiarum usu non pertinet proprie ad illos arti-

quidem, si adversarius aliquid concedat eorum, quae per divinam revelationem habentur ; sicut per auctoritates sacrae doctrinae disputamus contra haereticos ; et per unum articulum contra negantem alium. Si vero adversarius nihil credat eorum, quae divinitus revelantur, non remanet amplius via ad probandum articulus fidei per rationes, sed ad solvendum rationes, si quas inducit contra fidem. *Cum enim fides infallibili veritati innitatur, impossibile autem sit de vero demonstrari contrarium, manifestum est, probationes, quae contra fidem inducuntur, non esse demonstrationes, sed solubilia argumenta.* »

[1] Ib. ad 2 : « *Utitur tamen sacra doctrina etiam ratione humana:* non quidem ad probandum fidem (quia per hoc tolleretur meritum fidei), sed ad manifestandum aliqua alia, quae traduntur in hac doctrina. *Cum igitur gratia non tollat naturam, sed perficiat, oportet, quod naturalis ratio subserviat fidei :* sicut et naturalis inclinatio voluntatis obsequitur charitati. Unde et Apostolus dicit 2 ad Corinth. 10 : In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. Et inde est, quod *etiam auctoritatibus philosophorum sacra doctrina utitur, ubi per rationem naturalem veritatem naturalem cognoscere potuerunt*, sicut Paulus Act. 17 inducit verbum Arati dicens : Sicut et quidam poëtarum vestrorum dixerunt : Genus Dei sumus. Sed tamen sacra doctrina huiusmodi auctoritatibus utitur quasi extraneis argumentis, et probabilibus. » Inde sane mirum videtur, quod Maurenbrecher, op. cit. 1–2 scribit : « Man kann sich nämlich entweder die Frage vorlegen, wie dieser mittelalterliche Scholastiker *vom Standpunkt der innigsten religiösen Kontemplation aus* wirtschaftliche Güter und wirtschaftliches Handeln gewertet hat ; es würde dann also *eine Darstellung der subiektiven Stellung des Bettelmönchen* zu derartigen Dingen beabsichtigt sein, und es würde die Geschichte der mittelalterlichen Frömmigkeit, also im weitesten Sinne *die Religions- und Sittengeschichte* sein, zu der man einen Beitrag liefern will. Oder man meint mit jener Aufgabe mehr die Art und die Weise, wie Thomas, unabhängig von seiner subiektiven Frömmigkeit, *als der berühmteste und umfassendste Gelehrte seiner*

culos fidei, qui sola divina revelatione cognoscibiles sunt, sed est, si ita loqui fas est, per excellentiam doctrina philosophica, quae etiam lumine rationis naturalis cognosci atque demonstrari possit.

Zeit, obiektiv über das wirtschaftliche und soziale Leben gedacht, wie er sich seine einzelnen Erscheinungen und seine allgemeinen Gesetze vorgestellt habe ; oder ob ihm derartige Erwägungen etwa noch ganz fern gelegen haben ; hier würde es also die *Geschichte der Volkswirtschaftslehre sein*, der man einen Dienst zu leisten beabsichtigt. An sich sind nun natürlich beide Fragestellungen durchaus berechtigt : *sie entsprechen vollkommen der Doppelnatur, die die Scholastik als mönchiche Theologie und als die enzyklopedische Wissenschaft ihrer Zeit auch an allen anderen Punkten zeigt.* » Iuste enim ac rite possumus distinguere apud S. Thomam theologicam et philosophicam doctrinam de divitiis. Item iure optimo discerni potest duplex eiusdem doctrinae consideratio atque methodus, scilicet theologica et philosophica. Nequaquam autem admittendus est harum considerationum valor duplex ita, ut theologica methodus tantum valorem possideat subiectivum, philosophica vero veritate obiectiva gaudeat, quoniam opinione S. Thomae nulla contradictio existit inter theologiam et philosophiam in genere, et in specie eo minus existere potest in philosophica et theologica doctrina de divitiarum usu, quae, ut supra notavimus, est principaliter doctrina philosophica. Sententia Maurerbrecher'i, etsi quosdam Scholasticos attingere possit, tamen non omnes, et quidem non Divum Thomam. Quapropter illa distinctio duplicis veritatis in doctrina S. Thomae de divitiis, unius subiectivae in theologia, et alterius obiectivae in philosophia, caret penitus fundamento argumentoque demonstrativo. Ceterum de hac concordia philosophiae et theologiae apud S. Thomam invenitur fere in operibus omnium auctorum, qui de nexu philosophiae cum theologia apud illum tractabant ; commemoratione digni sunt Jourdain: *La philosophie de Saint Thomas d'Aquin*, I, p. 162 et seq., item de Wulf, op. cit., p. 331–333.

CAPUT II

Notio divitiarum.

---

1. Nomina ad divitias significandas adhibita et divitiarum divisio.

Antequam doctrinam Divi Thomae de usu divitiarum exponere aggrediamur, quasdam notiones de ipsis divitiis praemittendas esse censemus, et quidem ea ratione, ut expositis hisce notionibus facilius ipsa de usu divitiarum doctrina intelligatur.

Imprimis ipsum nomen divitiarum explicandum est. In operibus enim S. Thomae meo scitu non invenitur nomen speciale, quod unice ac exclusive in sensu boni oeconomici (gallice : bien économique, germanice : wirtschaftliches Gut) adhibeatur. Hanc significationem saepe saepius fert vox divitiarum, licet eandem rem etsi rarius exprimant alia nomina, ut e. g. bona exteriora, bona temporalia, bona seu res terrenae, necessaria vel bona corporis, pecunia, possessio, etc. Quae omnia nomina non semel alio sensu sive latiore sive strictiore usurpantur. Ut omittam varias significationes nominum, quae rarius sensu bonorum oecono-

micorum occurrunt [1], etiam ipsum nomen divitiarum in significandis his bonis aliam atque aliam significationem habet latiorem atque strictiorem. In sensu strictiore vox divitiarum tunc saepissime usu venit, quando divitiae paupertati opponuntur, et hoc sensu divitiae significant abundantiam superfluitatemque bonorum mundanorum, dum e contra paupertas eorum defectum atque insufficientiam. Etenim dives ille dicitur, qui copias bonorumque mundanorum superfluitatem possidet, pauper vero is appellatur, qui sibi est insufficiens [2]; item dives vocatur homo, qui locare laborem suum pro pretio non indiget, ad quod autem propter periculum victus deficiendi cogitur pauper [3]. Quamquam superflua, aut insufficiens quantitas eorum, quae sunt ad vitam necessaria, hominem aut divitem, aut pauperem efficit, tamen, quod bene notandum est, non constituit statum socialem divitum, aut pauperum, nam ad rationem status aliqua immobilitas et obligatio moralis in quacunque persona requiritur, divitiae vero, aut paupertas sunt facile muta-

[1] Confer. 2, 2, q. 11, a. 4, c ; 1, 2, q. 108, a. 3, ad. 4 ; 1, 2, q. 84, a. 4 ; S. C. Gent. l. 3, c. 141 et ita porro.

[2] Sic in libello Contra impugnantes Dei cultum S. Thomas sua facit verba cuiusdam Glossae : « Ego vere egenus, et pauper sum. Glossa : Sum egenus, idest petens, et *pauper sum, idest insufficiens mihi : quia et mundanas copias non habet*, et intus, ubi est dives, semper ambit, desiderat, accipit » Vide op. modo cit. c. 7, p. 41 b.

[3] S. Theol., 2, 1, q. 105, a. 2 ad 6 : « *Mercenarii qui locant operas suas, pauperes sunt, de laboribus suis victum quotidianum quaerentes*, et ideo lex provide ordinavit, ut statim eis merces solveretur, ne victus eis deficeret. *Sed illi qui locant alias res divites esse consueverunt*, nec ita indigent locationis pretio ad suum victum quotidianum. »

bilia et mere extrinseca [1]. Quocirca illa quantitas bonorum, quae est ratio, quare dives differt a paupere, non absolute sumenda est, ac si aliquibus statibus socialibus alligetur, sed mere relative, cum in uno eodemque statu condicioneque sociali divites, et pauperes esse possint, prout aliquis homo aut superflua, aut tantum insufficientia bona respectu sui status habeat. Ab hac autem strictiore significatione vocis divitiarum probe distinguendus est alius latior sensus eiusdem nominis. Hoc sensu divitiae iam non significant superfluam bonorum temporalium quantitatem, sed quaecunque bona exteriora, quae ad vitam hominis sunt necessaria, abstractione prorsus facta ab eorum quantitate sive abundante sive insufficiente [2].

Hisce de nomine divitiarum notatis oportet addere quaedam de earum divisione. Unica [3] est tantum divitiarum divisio, iuxta quam naturales

[1] S. Theol. 2, 2, q. 183, a. 1 c: « *Unde et circa homines, ea quae de facili circa eos variantur, et extrinseca sunt, non constituunt statum : puta quod aliquis sit dives, vel pauper*, in dignitate constitutus, vel plebeius, vel si quid aliud est huiusmodi ; unde et in Jure Civili dicitur, quod ei qui a senatu amovetur, magis dignitas, quam status aufertur ; sed solum id videtur ad statum hominis pertinere, quod respicit obligationem personae hominis : prout scilicet aliquis est sui iuris, vel alieni ; et hoc non ex aliqua causa levi, vel de facili mutabili, sed ex aliquo permanente ; et hoc est, quod pertinet ad rationem libertatis, vel servitutis ; unde status pertinet proprie ad libertatem, vel servitutem, sive in spiritualibus, sive in civilibus. »

[2] In qua secunda significatione et nos, quoniam operibus S. Thomae valde familiaris et communis est, nomen divitiarum in hac dissertatione et intelligimus et adhibemus.

[3] « Invenimus quidem adhuc alias distinctiones bonorum exteriorum in mobilia et immobilia (vide Contra imp. Dei cult. op. 3,

divitiae a divitiis artificialibus distinguuntur. Naturales intelliguntur illae divitiae, quae naturalibus vitae humanae necessitatibus subveniunt. Sub nomine autem divitiarum artificialium comprehenduntur illae res arte productae, quae per se indigentiis humanis non subserviunt, sed tantummodo sunt medium acquisitionis divitiarum naturalium : « Sunt enim duplices divitiae, ut Philos. dicit in I Politic., scilicet *naturales*, *et artificiales*. *Naturales quidem divitiae sunt, quibus homini subvenitur ad defectus naturales tollendos* ; sicut cibus, et potus, vestimenta, vehicula, et alia huiusmodi. *Divitiae artificiales sunt, quibus secundum se natura non iuvatur, ut denarii, sed ars humana eos adinvenit propter facilitatem commutationis*, ut sint quasi mensura (quaedam) rerum venalium [1]. »

2. Necessitas divitiarum.

Quibus cognitis quaerere nobis placet, utrum et quomodo divitiae sint hominibus necessariae. Nullum dubium est, quin ad felicitatem beatitudinemque vitae humanae in hac terra divitiae sint necessariae licet non essentialiter, tamen ut quaedam instrumenta : « *Ad beatitudinem imperfectam, qualis*

c. 15, p. 122 a), item in necessaria praesentialiter et in futuro (ibidem op. 1, c. 6, p. 33-34), at haec divisiones non sunt ex professo factae, sed quodammodo indigitatae.

[1] 1, 2, q. 2, a. 1 c. Huic divisioni, ut notavimus supra p. 17, innititur divisio Possessivae in Acquisitivam cibi aliorumque necessariorum vitae, et in Pecuniativam.

in hac vita potest haberi, requiruntur exteriora bona, non quasi de essentia, beatitudinis existentia, sed quasi instrumentaliter deservientia beatitudini, quae consistit in operatione virtutis, ut dicitur in I Ethic[1]. » Imprimis bona exteriora, seu divitiae requiruntur ad felicitatem vitae activae ; etiam felicitas vitae contemplativae existere non potest sine divitiis, nam haec vita, quamvis in se sola spectata, nullas exigat divitias, quae sunt potius impedimenta quam auxilia contemplationis, indiget necessario bonis exterioribus ad sustentationem corporis; qua de causa, si vita activa comparatur cum vita contemplativa, haec paucioribus divitiis indiget quam illa vita activa : « Ad felicitatem autem contemplativae vitae non multum operantur ; sed magis impediunt, inquantum sua sollicitudine impediunt animae quietem, quae maxime necessaria est contemplanti ; et hoc est, quod Philos. dicit in 10 Ethic. (cap. 8), quod ad actiones multis opus est ; speculanti vero nulla talium ; scilicet exteriorum bonorum ; ad operationes necessitas, sed impedimenta sunt ad speculationem »[2]. « Sed cum sint virtutes vitae activae et contemplativae, aliter utraeque divitiis exterioribus indigent. *Nam virtutes contemplativae indigent ad solam sustentationem naturae ; virtutes autem activae indigent, et ad subveniendum aliis, cum quibus convivendum est.* Unde

[1] S. Theol. 1, 2, q. 7, a. 7 c.

[2] Ib. 2, 2, q. 186, a. 3 ad 4. Ob hanc rationem, quod divitiae sunt impedimenta vitae contemplativae, quidam philosophi omnino divitias abiecisse leguntur ; vide S. Theol. 2, 2, q. 186, a. 3 ad 3.

et contemplativa vita etiam in hoc perfectior est, quod paucioribus indiget[1]. »

Non modo divitiae necessariae sunt ut instrumenta quaedam felicitati vitae contemplativae et activae individui humani deservientia, sed requiruntur quoque ut instrumenta quaedam ad vitam societatis domesticae : « *Divitiae comparantur ad oeconomicam, non sicut finis ultimus, sed sicut instrumenta quaedam*, ut dicitur in I politic. (cap. 5 et 7) : finis autem ultimus oeconomicae est totum bene vivere secundum domesticam conversationem : Philos. autem in I Ethic. (cap. 1) ponit exemplificando divitias finem oeconomicae, secundum studium plurimorum[2] ». Immo divitiae exiguntur, ut quoddam medium ad finem, ad vitam cuiuslibet multitudinis, et propterea etiam ad vitam societatis politicae : « *Ad bonum multitudinis ordinantur sicut ad finem, quaecumque particularia bona per hominem procurantur, sive divitiae, sive lucra*, sive sanitas, sive facundia vel eruditio[3]. »

3. Divitiae ut hominis bonum instrumentale, utile, secundarium.

Cum autem bona exteriora necessaria sint et ad vitam individui, et ad vitam cuiuscumque multitu-

[1] S. C. G. l. 3, c. 134. Inde beatitudo vitae futurae nullis indigere bonis exterioribus dicitur, quia tunc anima vel erit sine corpore, vel habebit corpus spiritale ; vide S. Theol. 1, 2, q. 4, a. 7 c. Propter hanc causam etiam perfectioni charitatis studentibus paupertas commendatur.

[2] S. Theol. 2, 2, q. 50, a. 3 ad 1.

[3] De Reg. princ. l. 1, c. 15.

dinis humanae, quia subveniunt et sustentationi corporis, et exercitio virtutis, propterea bona hominis esse possunt : « Crediderunt (Stoici) enim, quod sicut solum hominis bonum est virtus, bona autem corporalia nulla bona hominis sunt... Sed hoc irrationabiliter dicitur : cum enim homo sit ex anima, et corpore compositus, id quod confert ad vitam corporis conservandam, aliquod bonum hominis est »[1]. Sed divitiae requiruntur ad vitam hominis solummodo ut instrumentra quaedam [2], media ad finem, organa, adminicula [3], et proinde divitiae vocantur bona instrumentalia, vel utilia : « Ad bonam autem unius hominis vitam duo requiruntur : unum principale, quod est operatio secundum virtutem (virtus enim est qua bene vivitur) ; aliud vero secundarium et *quasi instrumentale, scilicet corporalium bonorum sufficientia*, quorum usus necessarius est ad actum virtutis [4]. » « *Bona autem exteriora habent rationem utilium ad finem* [5]. »

Omne autem instrumentum, vel medium, habet suam bonitatem a fine. Inde etiam bonitas divitiarum non est absoluta, sed a fine dependet. Idcirco si finis divitiarum est bonus, et divitiae sunt bonae ; si contra finis est malus, ipsae divitiae fiunt malae : « Oportet autem quod ea quae sunt ad finem, ex fine bonitatem accipiant... *Intantum*

[1] S. Theol. 1, 2, q. 59, a. 3 c.
[2] Vide supra p. 39-40.
[3] S. Theol 2, 2, q. 83, a. 6 c.
[4] De Reg. princ. l. 1, c. 15.
[5] S. Theol. 2, 2, q. 118, a. 1 c.

igitur divitiae bona sunt, in quantum proficiunt ad usum virtutis. Si vero iste modus excedatur, ut per eas impediatur usus virtutis, non iam inter bona sunt computanda, sed inter mala[1]. » Quapropter quando divitiae facultatem multa bona agendi praebent, aliquid divinum dicuntur[2], et ille, qui divitiis bene utitur, meritum bonae dispensationis acquirere existimatur[3]. Quando vero bona exteriora causa ac occasio malorum et peccatorum sunt, mammona iniquitatis vocantur[4]. Inde iam manifestum est divitias esse bona solummodo pro illis hominibus, qui eis utuntur ad virtutem ; contra bona exteriora evadere mala iis, quibus sunt occasio vitiorum ac peccatorum : « Unde accidit quibusdam bonum esse habere divitias, qui eis utuntur ad virtutem ; quibusdam vero malum esse eas habere, qui per eas a virtute retrahuntur, vel nimia solicitudine, vel nimia affectione ad ipsas, vel etiam mentis elatione ex eis consurgente[5]. » Quemadmodum autem divitiae ideo dicuntur bona, quia possunt bono usui inservire, et proinde non sunt bona simpliciter, seu secundum se, ita etiam non possunt divitiae appellari mala simpliciter, sed tantum malus usus earum : « Et quia neque divitiae, neque paupertas, neque aliud exteriorum est secundum se hominis bonum, sed solum secundum quod ordinentur ad bonum rationis, nihil

[1] S. c. Gent l. 3, c. 134.
[2] S. Theol 2, 1, q. 4, a. 7 c.
[3] Ib. 2, 2, q. 117, a. 1 c.
[4] Ib. 2, 2, q. 32, a. 7 ad 1.
[5] S. c. Gent. l. 3, c. 134.

prohibet ex quolibet eorum vitium oriri, quando non veniunt in usum hominis secundum regulam rationis : *nec tamen propter hoc sunt simpliciter mala iudicanda, sed malus usus earum* ».[1]

Ex quo sequitur evidenter divitias non posse esse principale ac summum maximumque hominis bonum, seu non posse constituere felicitatem beatitudinemque humanam. Divitiae enim ut media, instrumenta, non quaeruntur propter se, sed propter aliud ; quod autem est propter aliud, non potest esse finis hominis et maximum bonum. Eo magis bona exteriora non sunt summum bonum appellandum, quia homo, ut modo cognovimus, potest uti eis male, ut instrumentis quibuscumque. Atque praeterea beatitudo hominis non consistit in emissione, sed in possessione ; bona autem temporalia e contra suam bonitatem accipiunt totaliter ab usu, seu emissione. Adde quod divitiae sunt bona fortuita, instabilia, et involuntarie amitti possunt ; adde adhuc plura alia, quae cum divitiis accidunt ac eveniunt, quorum autem unumquodque seorsim consideratum haudquaquam beatitudini convenit ; si haec vero omnia perpendes, haud difficile perspicies divitias nunquam summum hominis bonum esse[2]. Quibus de causis recta videtur esse opinio

[1] S. c. Gent., l. 3, c. 135.

[2] Ib. l. 3, c. 30 : « Ex hoc autem apparet quod nec divitiae sunt summum hominis bonum. Non enim appetuntur divitiae nisi propter aliud ; per se enim nihil boni inferunt, sed solum utimur eis vel ad corporis sustentationem, vel ad aliquid huiusmodi. Quod autem est summum est propter se desideratum et non propter aliud. Non sunt igitur divitiae summum hominis bonum. Adhuc : eorum possessio non potest esse summum hominis

peripateticorum qui bona exteriora ipsasque divitias minima hominis bona esse putabant [1]. Et revera bona exteriora sunt minima, nam bona corporis sunt bona superiora, suprema autem bona hominis sunt bona animae [2].

bonum, quae maxime conferunt homini in hoc quod emittuntur. Divitiae autem in hoc maxime conferunt quod expenduntur; hoc enim earum usus est. Non potest igitur divitiarum possessio esse summum hominis bonum. Amplius : actus virtutis laudabilis est secundum quod ad felicitatem accedit. Magis autem est laudabilis actus liberalitatis et magnificentiae, quae sunt circa pecunias, ex hoc quod pecuniae emittuntur quam ex hoc quod conservantur ; unde et ab hoc nomina harum virtutum sumuntur. Non consistit igitur hominis felicitas in possessione divitiarum. Item : illud in cuius consecutione summum hominis bonum est, oportet esse homine melius. Divitiis autem homo est melior, quum sint res quaedam ad usum hominis ordinate. Non est igitur in divitiis summum hominis bonum. Praeterea summum hominis bonum fortunae non subiacet. Nam fortuita absque studio rationis eveniunt. Oportet autem quod per rationem homo proprium finem consequatur. In consecutione autem divitiarum maximum locum habet fortuna. Amplius : hoc evidens fit per hoc quod divitiae involuntarie amittuntur, et quod malis evenire possunt quos necesse est summo bono carere, et quod instabiles sunt, et alia huiusmodi, quae ex superioribus rationibus colligi possunt. » Confer.. S. Theol. 1, 2, q. 2, a 1 c ; ib. ad 3.

[1] S. C. Gent. l. 3 c. 134.

[2] S. Theol. 1, 2, q. 2, a. 5 ad 1. Item S. C. Gent. l. 3, c. 141.